

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**ECLAMPSIA INFANTUM**

QUAM

ANNUENTE INCLYTA FACULTATE MEDICA

PRO

DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA IN ALMA AC CELEBER-  
RIMA REGIA UNIVERSITATE PESTIENSI RITE OBTINEN-

DA CONSCRIPSIT

**JOSEPHUS KOLLARITS,**

Pestiensis



---

Theses adnexae publice defendantur in Aedibus Facultatis Medi-  
cae die 28. Februarii 1833.

---

PESTINI,  
TYPIS LANDERERIANIS.

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant  
Omnia nos itidem decerpsumus aurea dicta.



*Lucret.*

Meinem  
hochverehrten Oheim.

Herrn



**JOHANN PFNEYSZL**

Vormund der königl. Freistadt  
Ödenburg

Aus Dankbarkeit und Höchachtung gewidmet.

# De Eclampsia Infantum.

## §. 1.

Nomine Spasmorum, Convulsionum, Eclampsiae, Epilepsiae infantilis, puerilis venit morbus ille nervosus, spasmodicus, aetati infantili infensus, qui se convulsionibus universalibus cum absentia conscientiae sui plena manifestat.



## §. 2.

Morbus hic infantes vel ex improviso adoritur, aut prodromis quibusdam symptomatibus sese annunciat.

Prodroma haec quandoque per paucā solum minuta, alias per horas, imo quandoque per dies pauciores aut plures durantia adnotantur: inquietudo major, ejulatus, pervigilium, appetitus cibi imminutus, nausea, quandoque vomitus, subinde tormina, diarrhoea, qua evacuantur excrementa viridia vel nigrificantia, frequenter alvus obstipa. Temperatura corporis mutata, jam aucta, jam imminuta. Cutis color mutatus, saepe pallor singularis, subin rubor turgorque major, in primis faciei,

## §. 3.

Multis in casibus eclampsia infantem corripit subito, quin prodroma ulla observata fuerint. Observantur quippe de repente motus miri, involuntarii, convulsivi, in musculis faciei, palpebrarum, maxillae inferioris, spuma inter labia oris exprimitur. Exagitantur imprimis musculi extremitatum, tam superiorum quam inferiorum; corripiuntur spasmis et musculi trunci, ideo corpus totum vario modo contorquetur. Respiratio ipsa evadit strepitosa, anhelosa, infantes non raro, inscie et involuntarie exclamant, ejulant. Visus, auditus et tactus torpent, ita ut nihil videant, nil audiant; nil sentiant infantes, etiam si pungantur, urantur, scindantur. Cutis universa, praeprimis illa faciei sub insultu tali est praerubra, imo subinde livida; saepe tamen, imprimis ubi insultus in longius protrahitur, cutis est pallida, acsi corpus exsangue esset. Non raro contingit sub insultu evacuatio urinae alvique involuntaria.

## §. 4.

Durat insultus talis subinde tantum per pauca minuta, saepe per quadrantes horae, subinde per horas plures, imo per diem unum, duos, tresve, ita ut spasmi remittant quidem, imo penitus sileant, sed mox iterum revertantur, atque corpus exagitent.

Interdum tantum unum latus corporis exagitatur spasmis, alterum latus est immobile, quasi paralyticum.

Superato insultu plurimi infantes incident in soporem per plures horas durantem.

§. 5.

Inter causas convulsionum disponentes omnium medicorum consensu numerantur sequentes:

Omnium primo dispositio quaedam haereditaria a parente alterufro spasnis forte hysteris aut epilepsia affecto obtenta.

Alias parentibus caeterquin sanis existentibus per influxus noxios in matrem tempore graviditatis agentes, imprimatur foeti dispositio in eclampsiam. Inter influxus hos noxios minus hucusque notos, animi pathemata peculiarem attentionem merentur. Exemplum idcirco memorabile addueit van Swieten, quod Fabricium Hildanum observasse narrat:

„Juvenis, robusta, et optimo corporis habitu praedita matrona grava mirum in modum perterrita fuit, dum epilepticus ferè ad ipsius pedes procideret; post menses aliquot primipara puellum feliciter enixa est, qui non diu post comitiali morbo correptus fuit, et multis remediis frustra tentatis periit hoc morbo, antequam primum aetatis annum adimpleret. Uterque parens sanus erat, et postea eadem haec matrona aliquot liberos peperit, qui nunquam huic morbo fuerunt obnoxii.“

de M. de Chanius novitatis §. 6. in libro de medicina et de chirurgia.

Dispositio porro singulariter exaltata in eclampsiam observatur sub Dentitionis periodo, sub qua nempe major congestio sanguinis locum habet in caput universum, hinc etiam in encephalon.

Sic et eclampsia semel perpessa dispositionem in eundem morbum relinquit.

Causae eclampsiae excitantes multiplices sunt. Frequenter saburra in primis viis haerens eclampsiam in infantibus provocat. Sic in neonatis subinde a meconio nimia quantitate retento et accumulato morbus hicce producitur. Ita lac matris aut nutricis quantitate majori ingestum, adhuc frequentius lac corruptum in infantibus convulsiones excitat. Corruptela talis lactis vero inducitur subinde per cibos aut potus incongruos, quibus nutrix utebitur, subin per morbos in illa evolutos, frequentius per animi affectus vehementes, praeprimis per iram, sed et per tristitiam, per desideria non adiuncta, per concupiscentiam nimiam coitus, per conceptionem, subin quod fluxus catamenialis reversus sit. Lactis corruptela talis non semper sensibus cognoscenda, percipitur per ventriculum tenelli, et non saltem gastralgiam, enteralgiam, vomitum, diarrhoeam, sed et convulsiones producit.

Memoratu digna hoc respectu est observatio, quam Heinecke de matre quadam narrat, quae cum ira ex-

candesceret, et lac infantis praebere nollet, cani pro potu exhibuisset. Canis eo ex tempore convulsionibus exagitabatur.

Boerhave similibus sub circumstantiis infantem convulsionibus obnoxium factum vidit, quae omnem per vitam ipsius duraverant, et nulli medelae cesserunt.


In Ephem: Nat: curios: dec: 1. ann. 11. obs: 41, refertur casus infantis, qui ubera matris vehementer perterritae sugens, protinus doloribus colicis correptus, atque ex convulsionibus demortuus est.

Cel. Richter narrat infantem quemdam convulsionibus laborasse, quoties manuia sinistra lactarebatur, cum tamen manum dextram absque incommodo exsugeret.

### §. 8.

Praeterea cibi quicunque, salutares licet, sed nimia quantitate ingesti uti v. c. fructus maturi; adhuc magis cibi duri, pingues, per ventriculum tenerrum hand digerendi in praedispositis convulsiones generant. Subinde potus spirituosi eundem morbum producunt. Le Febure observationem adnotavit infantis, qui omni die dominica convulsionibus vexabatur, quia hac die nutrix illius cremato consuetim usata est. Eclampsiam porro excitant venena deglutita, ipsa pharmaca venenata incaute exhibita, uti hyoscyamus, cicuta, belladona, opium etc.

Frequentem causam convulsionum constituant vermes intestinales, et quidem tam ascarides vermiculares, ac lumbricoides, quam taenia, quae quidem frequentius adulorum intestina inhabitat, subin tamen etiam in infantibus reperitur. Sic Wepferus duas morbi historias notatu dignissimas refert: Altera puellam attinet trium annorum, multos per menses convolutionibus vexatam, et dolore assiduo, ita ut fere continuo clamorem vehementem excitasset. Haec tum primum in salutem restituta est, cum taenia longitudo trium cubitorum ex illa recessisset. Altera morbi historia agit de puella septem annorum, quae jam a tertio anno catalepsi prehendebatur, nunc vero tam frēquentes insultus convulsivos experiebatur, ut fere mente capta evaderet. Ut primum taenia expelleretur, convulsiones disperguntur, et puella denuo saperē incepit.



S. 9.

Saburra perro per secretionem morbosam generata frequenter eclampsiam provocat. Sic poly- et cacoeholia, saburra mucosa, acidum primarum viarum morbum praefatum inducere valent. Ita etiam a flatulentia convulsiones observatae sunt. Alvi quoque adstrictio convolutionibus excipitur, id quod jam Hippocrates adnotavit. Idem Riverius testatur inquiens: „Filius Caroli mei, adstrictione alvi perpetuo laborans, convulsus periit.“

Excitantur convulsiones per violentias mechanicas capiti, vel spinae dorsi illatas; subin per-

prolapsus, hernias; porro per profluvia nimia, ut haemorrhagias, cholera.

### §. 10.

Frequentem causam eclampsiae infantum constituit refrigerium, quo cunque modo admissum. Animi quoque affectus eundem effectum habent. Sic observavit Tissot infantem trium annorum prae ira epilepticum factum. Idem Tissot narrat de infante quatuor annorum, aut parum supra, qui per alios infantes, histrionum ad instar vestitos, et per plateam currentes, terrebatur. Mox convulsiones expertus est, et in summum debilitatis gradum incidit, per diarrhoeam effrenem sese insinuantem, ex quo statu aegerrime tantum, et multas post hebdomades convaluit. Hoffmann historiam refert pueri, qui spectrum conspexisse cum crederet, ita perterritus fuit, ut mortui ad instar humi procumberet. Rediit quidem mox in vitam, sed deliriis et debilitati summae, quas convulsiones vehementes insecurae sunt, succubuit. S Vieten infantem dicit quondam per canem ipsum aggredientem stupefactum esse, ut mox convulsionibus laboraret, per omnem canum latrationem facilime revocandis.

### §. 11.

Saepe eclampsia infantilis excitatur symptomatice, ut symptoma febris intensioris et continuae et intermittentis. Aurea idcirco notavit verba Cous: „Pueris vero convulsiones fiunt, si febris acuta sue-

„rit, et venter non dejiciat, et vigilent et perterre-  
„antur, et ejulent, et colorem immutent, et ex vi-  
„ridi pallidum aut lividum aut rubrum induant. Haec  
„autem promptissime accidentur pueris recens natis, ad  
„septem annos usque.“

Non raro sub stadio eruptionis variolarum, mor-  
billorum, et scarlatinae eclampsia comparet ut sym-  
ptoma; ita encephalitidis, myelitidis, hydrocephali  
interni, hydrorachiae symptoma constituit.

Excitantur subin convulsiones infantum antago-  
nistice, metastatico: erysipelate, tinea, crusta lac-  
tea, et cuti cito evanidis.



Ex hucusque dictis facile est intelligere differen-  
tias eclampsiae ab auctoribus stabilitas, ut sunt:  
eclampsia protopathica, deuteropathica, gastrica  
saburralis, mucosa, biliosa, verminosa, inflammato-  
ria, nervosa, sympathica, symptomatica, antagoni-  
stica etc.

### §. 13.

Prout pro diversitate momperitorum pathogeneti-  
corum, natura eclampsiae varia est, ita variat etiam  
prognosis. In genere, morbus hic periculosus est,  
non paucos infantes spatio duodecim, aut viginti qua-

tuor horarum enecat. In cadavere ut plurimum periuntur signa sanquinis majori quantitate congesti in encephalon, aut medullam spinalem, subinde extravasatum cruentum, saepe serum in cavo cranii aut specu vertebrarum.

Nec tamen omnis eclampsia enecat, imo vero causa excitante remota, per solam autocratiam naturae non raro morbus hicce sanatur. Sic eclampsia, quae symptoma constituit febris intensioris, vel quae comparet sub stadio eruptionis exanthematis cuiusdam acuti, non raro feliciter disparet. Ita, quae excitatur per saburram in tubo alimentari haerentem, per refrigerium admissum, nisi dispositio peculiaris nervosa eminentiori in gradu congenita adsit, feliciter terminatur. Sed etiamsi infans mortem evitet facile post talem eclampsiam, sequitur epilepsia habitualis, quae dein saepe saepius arti omni rebellis est, et etiamsi cesseret, relinquit paralyses, fatuitatem.

Saepe tamen per therapiam rationalem eclampsia infantum felicissime sanatur.

#### §. 14.

Tempore insultus eclampsiae vestimenta omnia corpus arctius stringentia, prementia, solvenda sunt, corpus in situ debito conservandum, ne forte infans e lecto excidat, aut per motus vehementiores convulsivos sibi oculos vel aliam partem corporis laedat. Adstantibus prohibendum, ne violentia abhilita digitos flectant, vel extendant. Postmodum et ex narra-

tione adstantium, et ex investigatione infantis conamur naturam morbi individualem definire, et huic Therapiam adaequatam opponere. Cum tamen deglutitio impedita sit, interne pharmaca nulla applicari possunt, curatioque solis remediis externe applicandis absolvitur.

### §. 15.

Iis in casibus, in quibus et ex symptomatibus, et ex caussis convincimur caussam proximam eclampsiae esse congestionem sanquinis energicam in encephalon, subinde et in medullam spinalem, indicacionem formamus ad hanc congestionem imminuendam. Hunc in scopum saepe utilissima est applicatio frigoris, quod fit deportando infantem capite denudato in aerem liberum frigidum. Atque hoc simplicissimo remedio non raro eclampsia sub paroxismo febrili, sub eruptione variolarum etc. felicissime suffertur. Ubi morbus intensor est, ipsa sanquinis evacuatio necessaria est, tempore ipsius insultus instituenda, applicando hirudines duas, quatuor, sex ad regiones temporales, ad regionem occipitalem. Et non raro tempore, quo sugunt hirudines jam spasmi remittunt, disperant. Dum tamen convulsiones ad applicationem hirudinum non remittunt, aut silentes iterum revertuntur, fomenta frigida ad caput utiliter applicantur.

### §. 16.

Ubi tam ex symptomatibus, quam ex indole potentiarum nocentium intelligimus, eclampsiae caus-

sam proximam esse debilitatem veram, erethisticam, ibi pannos calefactos fumo aromatico imbutos cuti applicamus; fomenta aromatica, aromatico-vinosa, ut spiritum aromaticum cum spiritu vini camphorato, abdomini paeprimis imponimus. Sic et unguenta, linimenta stimulantia, abdomini, spinae dorsi inungimus; ut unguentum nervinum cum aethere vitrioli, spiritu salis ammoniaci caustico, et balsamo peruviano.

Ubi haec non sufficerent, applicamus sinapismos quatuor extremitatibus; et clysmata ordinamus ex infuso florum chamomillae, ex infuso radicis valerianae sylvestris cum gummi asa foetida, et spiritu cornu cervi.

Ubi nec haec sufficiunt ad convulsiones dissipandas, balneo tepido ex aqua communi, additis floribus chamomillae, herbis aromaticis, ac vino, per quadrantem horae infantem imponimus.

### §. 17.

Superato insultu, ne is revertatur, therapia pro diversitate caussarum, et pro diverso charactere morbi diversa requiritur.

Sic si causa spasmorum fuerit saburra, sive in ventriculo, sive in tubo intestinali haerens, tunc evacuantia antigastrica indicantur; nisi autocratia naturae produxit vomitum vel diarrhoeam, aut utrumque, quae evacuationes in hoc casu minime suppri menda, sed tantum facilitandae sunt potu infusi te-

nus tepidi florū chamomillae, vel tiliae, vel verbasici. Quod ni fiat, pro ratione saburrae turgentis emetica, vel purgans, vel anthelmintica medicina exhibenda est.

Dum indicatio pro emetico adest, in plurimis casibus tartarus emeticus caeteris vomitoriis praeferrendus est. Solvimus tunc granum unum tartari emetici in uncia una aquae destillatae simplicis, et inde omni quadrante horae uno cochlearculo coffeaceo exhibemus, donec effectus desideratus secutus fuerit.

Saburra deorsum turgente, subin jam clysmata sufficiunt ad eam evacuandam. Adhibemus tunc aquam tepidam cum butyro, vel oleo, vel saccharo, vel melle; vel decoctum furfurin, vel infusum florū chamomillae cum p̄aedictis; et his non sufficientibus clysteri addimus salem communem, vel amārum cochleari uno coffeaceo. Frequentius necessaria sunt purgantia interne assumenda. Hoc scopo neonatis prescribimus syrupum cichorei cum rheo, vel syrupum mannatuni, indeque omni hora uno aut duobus cochlearculis coffeaceis exhibemus, donec binae ternevae evacuationes subsequantur. Vel ordinamus carbonatem magnesiae cum cremore tartari et saccharo.

Infantibus adultioribus, alvoque pertinaciter obstitpa existente, id quod frequenter locum hábet, dum saburra mucosa et verminosa adest, efficaciora purgantia exhibenda sunt. Sic folia sennae, arcanum dupplicatum, radicem rhei, radicem jalappae, aut calomelam forma et dosi cuique medicorum notis exhibemus.

Ad saburram verminosam eliminandam; methodus anthelminthica specifica adhiberi debet.

### §. 18.

Non raro saburra licet evacuata, sive natura  
sive arte, adhuc supermanet acidum primarum via-  
rum; hoc in casu indicata sunt sic dicta absorbentia.  
Qualia sunt: carbonas lixiviae seu sal tartari, carbonas  
sodae; carbonas magnesiae, imprimis autem pulvis la-  
pidum cancerorum. Postmodum ad secretiones in primis  
viis corrigendas, digestionemque promovendam, remedia  
amara et aromatica uti v. c. calamus aromaticus, cor-  
tex aurantiorum, semen foeniculi, anisi utilissima  
sunt.



§. 19.

Ubi morbus characterem energicum habet, ibi  
superato etiam insultu methodus antiphlogistica indi-  
cata est, jani mitior jam intensior. Hinc praeter vitae  
regimen antiphlogisticum, nitrum, tremor tartari,  
tartarus tartarisatus, calomela, subin fomenta frigida,  
et in morbo intenso ipsa hirudinum applicatio indi-  
catur.

### §. 20.

Ubi eclampsia per statum peculiariter abnormem  
systematis nervosi sustentatur, ibi sic dicta antispas-

modicæ indicata sunt, quorum præcipua sunt sequentia:

Radix ipecacuanhae dosi refracta exhibita forma pulversis aut infusi.

Flores zinci utiles et ut remedium antispasmodicum et anthelminticum, qui tenellis ad granum semis ad unum, adultioribus ad grana duo usque quatuor pro nycthemero exhibentur.

Radix Valerianæ sylvestris, virtute spasmos sponiente et vermibns adversa excellit. Exhibetur forma infusi, aut ejus aqua destillata tam interne, quam etiam in oenemate.

Spiritus cornu cervi simplex et succinatus interne et in clysmate ad guttas alignot utiliter adhibetur. Frequenter etiam praescribitur in connubio cum radice valerianæ aut herba menthae.

Radix artemisiae vulgaris in pulvere et infuso a pluribus medicis cum utilitate exhibita est. Sic in Hufeland's *Journal der practischen Heilkunde* de 1826 refertur casus infantis dimidii anni, qui jam per duos menses eclampsia divexabatur, non obstantibus pharmacis diversis exhibitis insultus quotidie tres quatuorve recurrebant, tunc exhibebatur: Pulveris radicis artemisiae vulgaris, sachari albi ana grana quinque, quater per diem. Post octo dies spasimi cessarunt omnes; dein per duas septimanas quotidie tantum duo pulveres exhibiti sunt, morbo non amplius recurrente.

Folia aurantiorum, herba menthae, mellissae flores chamomillae forma infusi utiliter non raro porrigitur interne. Postremi etiam in oenemate cum fructu applicantur.

Asa foetida vitello ovi subacta solum in elysmatibus adhibetur.

Camphora, et castoreum: infusis ut plurimum adduntur.

Moschus, remedium hoc pretiosissimum in eclampsia infantum princeps antispasmodicum constituit. Dosim hujus pharmaci rite animadvertente experientissimo Richter infantes largam perferunt, ita ut infantibus infra tertium aetatis annum ad granum unum et ultra pro dosi omni hora exhiberi possit.

In casibus individualibus etiam remedia narcotica caute exhibita utilia sunt. In specie id referunt observatores de hyosclamo nigro et de opio. Postremum et in clysmate adhiberi consuevit.

Et methodus Stütziana consistens in alterno usu salis tartari et opii, aetati infantili accomodata, a pluribus observatoribus utilis deprehensa est.

Hujus loci quoque sunt balnea tepida, addito infuso florum chamomillae, herbis aromaticis et vino. Huc et balnea alcalina, et fomenta tepida aromatica referenda sunt.


### §. 21.

Ubi eclampsia symptoma est febris intermittentis, ibi methodus huic febri conveniens indicata est. In

plurimis tunc casibus utiliter adhibetur cortex peruvianus, ex cuius praeparatis nunc maxime in usu sunt sales chinini, qui tam ori ingeruntur, quam recentissime methodo endermica bracchiis aut regioni epigastricae applicantur.

Ubi morbus antagonistice fuit excitatus, praeprimis per morbos cutis evanidos, ibi irritatio cutis per balnea, per frictiones, per epispastica saepe longiori tempore continuari debet.

Dum morbus per debilitatem veram sustentatur, tunc indicata est methodus roborans. Hoc scopo et vitae regimen roborans, et pharmaca sic dicta roborantia, ipse non raro cortex chineae et ferrum necessaria sunt. In subsidium vocantur quoque frequenter balnea roborantia: martialia et aluminosa.



§. 22.

Dum eclampsia symptoma est alterius morbi, ut encephalitidis, myelitidis, hydrocephali interni, hydro-rachiae, tunc morbus protopathicus principalem in cura attentionem requirit.

Complicationes forte praesentes debite eruendae et convenienter tractandae sunt.

§. 23.

Sub cura convalescentiae ex eclampsia ad morbi recidivam praecavendam, singularem attentionem

requirunt caussae individuales, quae morbum vix ex-  
antlatum generarunt; his suo modo obveniendum est.  
Postmodum tractamen characteri morbi praegressi,  
complicationibus forte praesentibus et morbis posthu-  
mis forsitan relictis conveniens sit.

---





## **T h e s e s.**

---

**I. Actio narcoticorum non vino sed frigori  
acquiparanda.**

**II. Generatio aequivoca sine dubio fit.**

**III. Tracheitis acuta infantum, et asth $\mu$ a acu-  
tum periodicum Millari, morbi distincti sunt.**

**IV. Ruptura uteri non est semper lethalis.**

**V. Vis naturae medicatrix indubie existit.**

**VI. Narcotica statui septico adversantur.**

**VII. Non omnis struma scrophulosa est.**

**VIII. Partus serotinus concedendus.**

**IX. Vermes intestinales saepe quidem insontes  
sunt, ex Aetiologya tamen non delendi.**

**X. Vinum generosum rite adhibitum ad reme-  
dia praestantissima spectat.**

**XI. Synchondrotomia ex serie operationum chi-  
rurgico - obstetriciarum eliminanda.**

**XII. Medicus eclecticus sit.**

**XIII. Digestio cum fermentatione et respiratio  
cum combustione certo sensu comparari pos-  
sunt.**

**XIV. Hydrargyrum syphilidem specifice sanat.**

**XV. Epilepsiam simulatam a vera, attentus  
medicus facile distinguet.**

